



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1740. usque ad annum 1742

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum, 1787**

**VD18 90119649**

§. 9. Acrioris disceptationis argumentum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67882](#)

§. IX.

*Acrioris contentionis argumentum.*

Sæc. XVIII.

A. C. 1740.

Sub idem tempus Carolus Comes de Herberstein Græciæ in Styria natus, atque Archiepiscopi ac Principis Salisburgensis Ephebus Juvavii die S. Ivoni facra ad Academicos orationem habuit, in qua studiorum ac disciplinarum rationem, quam Benedictini in scholis tenerent, multis iisque æquo acerbioribus verbis infectabatur; Eruditi equidem hi Critici se insciis, in publico omnium, & ipsorum quoque Universitatis Professorum confessu hanc declamationem a Nobilissimo hoc juvene habitam fuisse, persuadere nitebantur; id vero nequidem credidit Judæus Apella. Forte huic juveni prælusit, armaque suppeditavit Raymundus Cecchetus, qui Romæ in sua funebri oratione, qua defuncto Ernesto Emmanueli Comiti Harrachio Nitriensi Episcopo (\*) parentabat,

K 2

retu-

mius credit fuisse Hermanum contractum Reichenaviæ in Suevia Monachum, qui ob membra ab incunabulis contracta sic dictus obiit anno 1054.

(\*) Hic Salisburgensis Canonicus & Auditor Romæ anno ætatis 34 Romæ die 17. Decembris an. 1739. variolis decesserat.

Sæc. XVIII. retulerunt, hunc Episcopum deplorasse  
A. C. 1740. quod Benedictini in Germania solis voca-  
larum captionibus & quæstiunculis plan-  
supervacuis sine sua aliorumque utilitate  
occuparentur: hinc eum constituisse ex Ger-  
mania quosdam juvenes Monachos ingenii  
eximios Romam accersere, ut his solidior  
doctrina imbutis, ac in patriam revera  
optima studiorum ratio primo in Salisbur-  
gensem Academiam his Monachis commi-  
sam, dein non solum in Nitriensem Es-  
tefiam, sed paulatim in totam Germ-  
niam propagaretur. Hæc Cecchetus  
quæ tamen utpote a convitiis alieni  
nemini stomachum movere; illa ven-  
Salisburgensis declamatio jure merito  
clarissimos illius ævi Professores graui-  
sime offenderat, cum hujus celeberrimi  
Instituti Doctores scientia & pietate loco  
ge præstantissimi jam per integrum se-  
culum hanc Universitatem cum tan-  
laude ac proventu moderati fuissent, &  
eorum industria, eruditionis ubertate  
& laboris assiduitate pene innumeri Viri  
in omni disciplinarum genere doctissimi  
omni tempore ex hoc scientiarum em-  
porio prodiissent. Igitur ut incliti  
Professores celebrem hanc Sapientie  
scholam, simulque honorem famamque  
suam adversus hunc declamatorem  
quem a novis hisce Criticis conductum  
existimabant, vindicarent, sui mune-

ris esse censebant. Illuxerat autem dies Sæc. XVIII.  
 secunda Julii, qua pro veteri more so-A. C. 1740.  
 lemnis supplicatio ad B. V. Imaginem  
 prodigiis claram in Plain prope Salis-  
 burgum quot annis habetur. Ea igitur  
 die P. Placidus Böckhn Ord. S. Benedi-  
 eti SS. Theologiæ & Juris Utriusque  
 Doctor, Principis Archiepiscopi Salisbur-  
 gensis, & Abbatis Principis Fuldensis  
 Confiliarius Ecclesiasticus & Universi-  
 tatis Pro Cancellarius, S. Scripturæ &  
 SS. Canonum Professor ad Marianam  
 Sodalitatem orationem habuit, assum-  
 pto themate: *Ecce Mater tua* Joan. 19.  
 v. 27. cum autem in ea adversus Mu-  
 ratorium demonstrare contuleret, non  
 modo bonum ac utile esse B. Virginem  
 Mariam Sanctosque venerari ac invo-  
 care, sed & *necessarium ac præceptum esse*,  
 oleum flammis affusum videbatur, præ-  
 cipue cum Orator haud obscure pluribus  
 in locis novellos Criticos impetiisse, Mu-  
 ratorio injuriam intulisse, & criminatio-  
 nem de Miseratricis prærogativa B. Vir-  
 gini denegata a Capuccino objectam re-  
 coxisse argueretur: integrum ejus ora-  
 tionem hoc adducere, haud abs re erit.

### §. X.

*P. Placidi Böckhn oratio de B.V. cultu.*

Hæc oratio hujus erat tenoris: „Quo-  
 K 3 ties-